Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 431
Quelle:
Copyright:



rebantur in Ordine Minorum, a pio Viro collecta data esse in lucem sub nomine S. *Bonaventurae?* Exemplar praesens Indice alphab. Rerum ad calcem instructum est. *Marraccius* in *Bibl. Mariana* v. *Bonaventura* perperam *Speculum B. Mariae sive de Laudibus Virginis L.* 1. et *de Laudibus B. V. in Salutationem Angelicam Libellum* distinguit, neque tamen etiam ab adferendo *Conrado* abstinet.

IV. *fol.* 88. *Liber*, ut e calce praeoccupo, *canticorum expositus ad laudem uirginis marie.* Additur alia aeque vetusta penna: *per sanctum thomam.* Initium est: *Osculetur &c. Que est ista exclamatio. tam magna. tam repentina. o beata maria. inundatio gaudij. vis amoris. torrens voluptatis. totam te operuit* &c. et finis: *deum unum viuum et verum. cuius regnum et imperium permanet in secula seculorum Amen.* Expositio *Thomae* in *Cantica* extat T. XIII. edit. *Rom.* 1570. f. sed ea ad B. V. *Mariam* detorta non est. Neque aliam norunt *Echardus* et *Quetifus*. Itaque Commentario praesenti hederam adpendit aut Ignorantia, aut Spes adscito *Aquinatis* nomine illum celebriorem reddendi.

V. *fol.* 144. Congeries Textuum biblicorum ad informandos Sermones de Sanctis per anni decursum, ita tamen, ut prima Congeries sit pro Festo Pentecostes.

VI. *fol.* 154. *Incipit rota in medio rote.* In Elencho Codici praevio additur: *et sunt figure veteris testamenti ad diuersas materias.* Verum nec istud quidquam docet, nisi noris, *diversas* has *materias* esse totam Historiam evangelicam inde ab *annuntiatione dominica et conceptione* usque ad *Judicium uiuorum et mortuorum.* Haec igitur Allegoriis e V. T. depromtis in usum Concionatorum illustratur, adjecta mantissae loco Doctrina *de VII. Sacramentis Ecclesiae.*

VII. *fol.* 160. *Summa Magistri Johannis belet de ecclesiastico officio.* Manu vetustiore Sec. XIII. Init: *In primitiva ecclesia prohibitum erat* &c. Aliud Exemplar jam *Vol.* I. P. III. *col.* 2873. retuli; neque praesens istud minus variat ab Editis, ita v. g. in Edit *Diling.* 1572. 8. *min.* deest *Caput* integrum *de VII. Dormientibus*, quod nobis *fol.* 208. p. 2. legitur; ita ad *Caput de S. Martino fol.* 213. nobis additur: *Cappam eius post mortem reges francorum consueuerunt portare in prelijs. Vnde ipsi custodes ab ipsa dicti sunt Capellani.* Sunt vero etiam non pauca in Editione, quae desiderantur in Codice, ut nihil dicam de elocutionis differentia, quae omnia Librariorum in transscribendo licentiae imputanda censeo.

## CCLV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 99. 8. per duas columnas probe scriptus, et minio distinctus, hoc titulo est: *Incipit byblia beate virginis Marie.* Titulos puta e sacris Literis ordine Librorum illi adcommodatos, nonnunquam non sine pia quadam R. 3341

vio-